



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi  
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

**Acquaviva, Claudio**

**Coloniæ Ubiorum, 1616**

83 Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum  
oblitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

83 Quia factus sum sicut vter in  
pruina: iustificatione tuas non  
sum oblitus.

**S**unt qui pellem frigore, & gelicidio, ut **V**ter, vel  
legit S. Ambrosius, constrictam, & cor- **pellis ge-**  
rugatam intelligant: aut fumo, quem & **nericè.**  
vox hebræa significare potest, exsiccatam,  
& affectam, iuxta quod alibi dicitur, Pellis **Thren. 5.**  
nostra, quasi clibanus, exusta Et in Iob. Cu- **Iob. 7.**  
tis mea aruit, & contracta est. Et verè vo-  
cabulis istis, hominem omnino afflictum,  
& quasi ad extrema redactum adombra-  
mus. Sed non arbitror siue causa de vire  
potius, quam de quacunque pelle factum **Vel pro-**  
esse sermonem: quia pellis interdum lana **priè vter**  
munita, interdum arte perpolita, & condi- **significat**  
ta, frigoris iniuriam nõ sic patitur, quem- **afflictio-**  
admodum vter, utique inanis, & omni  
presidio destitutus. Nec vacat etiam, quod  
vox hebræa inde fortè deducitur, quod vter  
vltro, citroque perpetuo vegetur, & quasi **Gen. 4.**  
profugus nusquam cõsistat. Vnde & Cain  
profugus in Noe habitasse describitur. Sic  
ergo conqueritur. Factus sum sicut non  
pellis quælibet, sed vter in pruina, quem  
susque deque ferunt, proijciunt: iniurijs  
imbrium, pruinae, niuis & ardoris expo-  
nunt. Nec persecutorum tantum externo-  
rum vexationibus agitor, & ad miseras  
hasce detrudor; sed ipsemet factus sum  
sicut

sicut vter, quia concupiscentijs, veluti gelu, & pruina constringor, caritate interim languente. Sed inter hæc ipsa mala, iustificationes tuas non sum oblitus. Lex enim tua inter hæc me seruat, quam perpetuo in mente habeo. Pellicea tunica succinctus fuit Pater meus Adam, corpus mortis gestans morticino indutus: hanc ego & in pœnam gesto: sed scio quis tunicam pelliceam nostram participauerit, & induerit; vt me corpore mortis exutum, immortalitate vestiret, & gloria. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificatus sum.

*Gen. 3.*

*Ft mortificationē.*

Sed & in bonum accipit Ambrosius, vt, quoniam vter ex animantis mortui exuijs fit, significetur corpus peccato mortuum, quod ab æstu cupiditatum continentiae, & ieiuniorum quodam gelu tēperetur, & matutina oratione perfletur, quando sicut ros, ita super terram nostram

*Deut. 32.*

*Ambros.*

Dei verba descendunt. Bonum est igitur mihi Domine fieri sicut talem vterem in pruina, vt omnis in me mortificationis rigore purgatus, & liquore iustificationū tuarum perfusus internæ cupiditatis feruor refrigescat: quo fiam non rimosus & effluens, sed nec vacuus vter, sed plenus Spiritu, plenus iustificationum tuarum: ac denique plenus lactis, oleique & vini noui liquoribus, tibi plenus & utilis fiam.